Др. IV. Корд. №11

ЦѢНА ДВА
РУБЛИ

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam Dei
memoriam. Quoniam res gestae hominum vetustate et oblivio-
ne intereunt, prudenter literarum monumentis aeternitati
comendantur. Proinde Nos Sigismundus Augustus
Dei Gratia Rex Poloniae magnus Dux Lithuaniae
Nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae
Lanciciae Cujaviae Russiae Prussiae Masoviae Podla-
chiae Volinie Kulmensis Elbingensis Pomeraniae Samogi-
tiae Livoniae Dominus et haeres. Significamus praesentibus literis nostris
quorum interest universis et singulis praesentibus et futuris harum noti-
ciam habituris. Exhibuerunt nobis oppidani de Suraz oppido nostro
in terra Podlachiae posito, literas pargameneas salvas integras et
omni suspitione carentes sigillo appenso magni Ducatus Lituaniae
communitas Amunu Nro subscriptas quibus nos Ill^mi Alexandri olim
Ducis Lituaniae patrui Nri privilegium quo divae memoria Casimiri
Avi Nri praedicto oppido largitae et concessae quaedam libertates confir-
matae fuerunt, itemq permulta alia iura et beneficia ab ipsomet Alexandro
seorsim indulta continebantur, authoritate Nra ducali confirmavimus
et perpetuum robur ac firmitatem illas habere debere declaravimus
Sed quoniam in hoc generali Regni conventu Lublinen omnes Terras
Podlachiae, quae a regno Nro Poloniae disiuncta, per multa tempora
magno ducatui nostro Lituaniae adhaeserunt eidem Regno Poloniae
iustis rationibus tanquam primevo suo, et vero corpori restituimus
atq univimus Ea de causa supplicarunt nobis praefati oppidani de
Suraz ut illas ipsas eorum oppidi literas denuo authoritate Nra regali con-
firmaremus atq stabiliremus. Quarum quidem de verbo ad verbum tenor
sequitur et est eiusmodi. In Nomine Domini Amen. Ad sempiter-
num rei memoriam. Nos Augustus Sigismundus Dei gratia
Rex Poloniae magnus Dux Lituaniae, Russiae Prussiae Masoviey
etc. Dominus et haeres Significamus tenore praesentium quibus expe-
dit universis et singulis quibus interest vel interesse poterit praesentibus
et futuris harum notitiam habituris. Quia cum exhibitum esset coram
nobis per consulem et consularem oppidi nostri Suraz in terra Podla-
censi et territorio Bielscensi, magni ducatus nostri Lithuaniae siti
nomine universitatis eiusdem oppidi huc ad nos cum speciali mandato
missos diploma seu privilegium eorum a maioribus Nris illi oppido
concessum in pargameno descriptum sigilloq Serm̃i divae memo-
riae Alexandri patrui Nri desideratissimi appenso communitum
supplicatumq nobis est ut quandoquidem hoc ipsum diploma paulo
superioribus diebus, casu quodam fortuito, nempe quod domus illa in qua hoc
ipsum cum scriniolo tum asservabatur, vi tempestatis et turbinis nudata parte
tecti illius impetuq tandem imbrium tam coartarum perstillasset obidq aquis ali-
quanta pars huiusce diplomatis per in medio madefacta esset, unde et scriptura
in locis quibusdam haud modice obscurata, et ceu poluta videbatur ita tamen
ut legi et discerni ad huc posset, quare illud denuo exscribi iuberemus
authoritateq nostra clementer approbare et confirmare dignaremur. Quod
quum nos haud iniquum existimaremus considerantes hoc ipsum diploma
memoratum esse salvum, et omni prorsus suspitione carere illud denuo exscri-
bi iussimus quod quidem adverbum in originali suo ita habetur. In Nomine
Domini Amen. Et quia ea quae inter mortales sub tempore fiunt negocia
procedente aetate in oblivionem venirent ad posterosq et successores nulla
gestorum notitia perveniret. Proinde regum et principum alta consilia invene-
runt ut huiusmodi negotia quae sub eorum principatu et regimine aguntur
ut in noticiam posterorum deducantur literis et fideli testimonio perhennare
Ad perpetuam proinde rei memoriam. Nos Alexander Dei Gratia

magnus Dux Lituaniae nec non terrarum Samogitiae Russiae Kijoviae etc. Dominus et haeres Significamus tenore praesentium quibus expedit universis praesentibus et futuris. Quomodo venientes ad praesentiam nostram circum Specti Proconsul et consules civitatis nostrae Suraz nomine et Commissione totius communitatis nobis supplicaverunt ut ipsis iura et privilegium iuris Theutonici Magdeburgen ipsis per Serenissimum Principem et Dominum Casimirum olim regem Poloniae et magnum Ducem Lituaniae etc. genitorem nostrum charissimum confirmaremus Nos volentes in robore et firmitudine literas genitoris nostri expressi habere et conservare ad petitionem eorum licitam gratiose annuentes iura eam privilegia ipsorum huiusmodi confirmare et roborare voluimus praesentibusq roboravimus confirmamus et approbamus Quarum tenore de verbo ad verbum sequitur. In Nomine Domini Amen Kazimirus Dei gratia magnus Dux Lituaniae etc. ad in memoriam sempiternam Significamus per praesentes omnibus et singulis tam praesentibus quam futuris praesentium noticiam habituris.. Quomodo volentes civitatis nostrae Suraz conditionem meliorem fieri in multitudine populi foelicius suscipere incrementa praefatae civitati Nrae Suraz ac omnibus et Singulis civibus et incolis utriusq ritus videlicet, tam Sanctae Romanae quam Graecae ecclesiarum cultoribus ipsam civitatem inhabitantibus praesentibus et futuris Quia dedimus contulimus et praesentibus damus et conferimus jus Theutonicum quod Magdeburgense dicitur totum perpetue duraturum in omnibus suis constitutionibus punctis articulis, et sentenciis prout aliis civitatibus nostris Vilnae Kowno Brzescie dedimus et contulimus et prout ius ipsum Theutonicum habet et requirit, remanentes in expressa civitate Suraz omnia alia iura modos et consvetudines universas, quae ipsum Ius Theutonicum Magdeburgen plerumque perturbare consveverunt. Eximimus imprimis absolvimus et liberamus perpetuo omnes et Singulos Cives et Incolas Civitatis Suraz ab omni iurisdictione et potestate omnium ducatus nostri Lituaniae et Russiae Palatinorum capitaneorum Judicium et aliorum officialium, et a cura in eadem Suraz et eius officialibus ita quod cora ipsis aut coram eorum aliquo pro causis tam magnis quam parvis puta forte sanguinis homicidii incendii et membrorum multilationis, et quibusvis aliis minime respondere nec aliquas poenas solvere tenebuntur. Sed tantum coram Advocato ipsorum et non aliter quam Jure Theutonico Magdeburgen. Advocatus autem cora nobis aut nostris Successoribus et hoc dum literis Nris citatus fuerit respondere tenebuntur. Insuper expressos cives civitatis Suraz eximimus et eliberamus ab exactione tabernalium alias Kapsa perpetue et in evum Harum quibus Sigillum nostrum praesentibus est subappensum testimonio literarum. Actum et datum in Mereck feria quinta post festum Exaltationis Sancta crucis Anno Domini millesimo quadringentesimo quinto praesentibus ibidem Illri Duce Georgio Siemionowicz Tenutario in Pinsko, Magnificisq Strenuis et nobilibus Petrasio Montigerdowicz terrae Lituaniae Marschalco generali Joanne Jastolth Vilnen et Joanne Momirdowicz Trocen Illis Sienkone Godigoldowicz Michaele Cancellario, aliisq quam plurimis testibus fidedignis. Nos vero expressus Alexander Dei Gratia magnus Dux Lituaniae etc. nec dum literis privilegii iam insertas genitoris Nri charissimi roborare prout iam robaravimus sed etiam expressam civitatem Suraz et ipsius Incolas gratia et donatione Nra Speciali providere et augere volentes ad Supplicationem eorundem civium, ut ipsis quasdam

terras seu agros daremus, quia paucos et ferre nullos
agros haberent. Volentes itaq expressam civitatem dila-
tare, ut cives eam inhabitantes redditus et tributa
Nra solvere sufficerent, Sed quia agri seu terrae
Serviles Stuzebne ciagle et tributivae vulgo Dziakelne
dictae quorundam hominum nostrorum alia vero
desertae advenerant, seu continuae sunt in sub civita-
tem expressam. Nos volentes civitati expressae defectum providere absq
praeiudicio hominum, qui in eisdem terris resederunt, commisimus
et mandamus Specialiter Mag. Nicolao Mikolaiewicz subpincerna
magni ducatus Lituaniae et Capitaneo Bielscensi ut pro eisdem agris
seu terris possessionatis, commutationem redderet desertatos vero adiungeret,
et quod omnes sic huiusmodi agros circumequitaret et granicibus limita-
ret, pro expressa civitate expressus vero Magnificus Nicolaus Miko-
laiewicz Capitaneus expressus Bielscen, secundum commissionem et man-
datum nostrum agros seu terras pro civitate expressa circumequita-
vit, vulgaliter Obiechał et limitavit. Incipiendo a fluvio Narwia
inferius directe per fluvium Viprzska et fluvio usq ad molendinum
Nrum, a molendino vero eodem fluvio Viprzska in ultam in flumen
Jasieniowka ubi Viprzska advenit, et sibi coniungitur superius flu-
vium Jasieniowka et ibi signata facta sum in arbore Brzeth et ab
istis signalibus granicies transeunt per depressum alias Legiem et
in aquosum alias Mokradlina usq ad campos laboratos et ab eodem
loco directe per campos laboratos et mericas alias da trzewi usq ad extre-
mum Sylvae Holaczia dictum et Sylvam istam praeterendo, et ultri-
mus limes directe per lutum iuxta Narew fluvium superius
civitatem, unde expressus Capitaneus noster huiusmodi limitatio-
nem ex mandato nostro factum nobis inscriptis obtulit quam nos
literis seu privilegio inserere mandavimus approbavimus et confir-
mavimus agros huiusmodi et campos sic ut expressum est cir-
cumequitatos pro civitate expressa Suraż consignam inscribentes
praesentibusq inscribimus habendum, tenendum pacifice et quiete possi-
dendum nunc et in perpetuum. De quibus agris et campis sic limita-
tis et per nos donatis expressi cives quilibet de parte sua agrorum
per ipsum possessa et laborata decimam manipularem de omni Grano
Plebani Eclesiae parochialis ibidem solvere tenebuntur quam
Graecae quam Latinae Eclesiae neminem excipiendo. Granicies vero
et limites antiquos quos cum villa Piekarow ex antiquo habuerunt, et usq ha-
bent. Qui limites transeunt iuxta terras terrigenarum Nrarum dictorum Smierdzi-
grochy et vadunt usq ad Gasowkam fluvidum et ab eodem fluviolo usque ad Na-
rew fluvium in huiusmodi granicies et limites antiquos ipsis praesentibus
confirmamus. Item expressi oppidani coram nobis exposuerunt quomodo
tempore siccitatis et inundationis defectus habent molendinorum unde volentes
tanto defectui ipsorum subvenire ipsis admissimus et praesentibus admitti-
mus molas manuales alias Żarnij in domibus haben. Et eisdem molis
molere sub tali tempore siccitatis vel inundationis. Tempore vero quo
molendina sufficerent molare ipsis huiusmodi molas non admittimus. Excep-
ta pauca molatione sicud pro pulmentis vel commodo insufficientibus
et pauperibus hominibus istud concedimus. Damus insuper et admittimus
expressis Oppidanis Sylvas Nras et nemora liberas pro aedificiis et lignis
absq quavis prohibitione Tenutarii nostri et sui officialis et terrigenarum

Eximimus insuper expressos oppidanos a foralibus alias Targowego Et homines de districtu alias zlotowci exceptis forensibus hominibus et omnis qui soluere Tenebuntur Admisimus praeterea Et presentibus admittimus expressis oppidanis fluvium Narew liberum ad piscandum et faciendum obstacula alias Jezy Et ut expressa civitas Suraz meliori ordine dirigatur secundum dispositionem Magdeburgen ordinavimus constituimus et presentibus ordinamus, quod communitis cum Advocato haereditario annis Singulis tres Consules eligant, qui tres Consules cum communitate simul quartum Proconsulem eligere debebunt Et non aliter qui consules post Electionem nobis de obedientia servanda et iustitia pauperi et diviti praestanda totiens quotiens eos eligi contigerit, iuramentum praestare tenebuntur Item ordinavimus Et ordinamus quod paena iudicatae alias potoczne nihil amplius nisi decem solidi recipiantur qui faciant sedecim ternarios. Testimonialis vero alias Pamiętnego quatuor solidi et non amplius. Item consvetudinem Kunicza dictam, quae recipiebatur quando partes inter se iniuriata amicabiliter componerent absq iuris scitu quam nos consvetudinem Et alias Ruthenicas penitus amputamus decernimusq quod omnium accipiantur Judex iuratus iudicum bannire debebit in duabus Septimanis excepto iudicio necessario officialis vero cum consulibus praeter expositum Judicium bannitum nihil iudicare debebunt, nec aliquas decernere paenas solum bannito seu exposito iudicio. In quorum omnium evidentius testimonium Sigillum nostrum praesentibus est subappensum. Actum et datum in Grodno feria Sexta post festum Sancti Bartholomei proxima Anno Domini Millesimo quingentesimo primo praesentibus ibidem Reveren Magnificis et generosis Domino Alberto Episcopo Alexandro Juriowicz Castelano Vilnen et Capitaneo Groden Joanne de Zabrzezie Palatino Trocen, et Marschalco supremo magni Ducatus Lituaniae Nicolao Mikolaiowicz Suppincernae magni ducatus Lituaniae et Capitaneo Bielscen Janusio Alexinkowicz Incisor nostro et Tenutario Slonimcen Michaelo Duce Hlinen Marschalco curiae nostrae, Petro Olechnowicz magistro coquinae nostrae, Nicolao Gingitowicz magistro coquinae duces Nrae et aliis quam plurimis fide dignis Permanus Rans Stanislai Veneti Notarii nostri qui praesentia habuit in commissis. Insuper etiam Nos Sigismundus Augustus praefatus eorundem oppidanorum supplicationibus clementer annuen hoc ipsum sic modo descriptum privilegium seu diploma et omnia singulaq in eo contenta uti iusta et legitima approban et confirman esse duximus approbamusq et confirmamus per praesentes —

Decernen omnia et singula in eo contenta robur dibile et sempiternae firmitatis obtinere debere Harum testimonio literarum quibus sigillum nostrum est subappensum — quibus et manu nostra subscripsimus. Actum et Datum Cracoviae subbato ante ferias divae Mariae Magdalena quae erat vigesima Mensis Julii Anno Anatali Domini Servatoris Millesimo Quigentesimo quadragesimo nono praesentibus reverendo in Chro Domino Valeriano Designato e confirmato Episcopo Succoniensis Illustri et magnifico Nicolao Radziwil Supremo Marschalco M. D. Lithvaniae et Capitaneo

Brzesten et Tenutario in Szawle ac Duce de Olyka et Nieswies ac venerabili ac generoso Petro —
Myszkowski praeposito Plocen. Floriano Zebrzidowski Refferendariis curiae nostrae Actionum Podlasensi et Sekretariis nostris ac ceteris quam plurimis officiariis et Aulicis —

curiae nostrae fidedignis testibus circa praemissa Sigismundus Augustus Rex subscripsit. Nos igitur huic iustae praedictorum oppidanorum supplicationi annuen. hoc privilegium, et omnia quae in eis tam generaliter quam specialiter velut aequa et ligitima continentur ratificanda et approbanda duximus — uti quidem approbamus et confirmamus — praesentibus literis nostris volen. ut hac omnia supra scripta in omnibus suis punctis clausulis articulis firmitatem perpetuam et eternam robur habeant Juribus Nris Regalibus semper manentibus salvis in cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est subappensum Datum Lublini in Conventu Regni nostri generali die quarta mensis Aprilis Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo nono. Regni vero nostri anno quadragesimo Praesentibus Rmo et Reveren. in Christo patribus Dominis Jacobo Uchanski Archiepiscopo Gnesnen. Legato nato et Regni Poloniae Primate Philippo Padniewski Cracovien. Stanislao Carnkowski Vladislavien Adamo Konarski Posnanien Stanislao Hosio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Varmiensie, Petro Miszkowski Plocen. Alberto Starozrebski Chelmen. Episcopis Necnon Magnificis generosis et venerabilibus Sebastiano de Melecz Castellano Cracovien. Stanislao Mirzkowski de Mirow Cracovien. Petro Zborowski Sandomir. Alberto Laski Siradien. Joanne Sirakowski Lancicien. Joanne de Strzeszewo Brzesten. Joanne de Krotoszyno Junivladislavien Georgio Jazlowiecki de Buczacz Podoliae, Joanne de Dombrowicza Lublinen. et Regni nostri Marschalco Andrea Dembowski Belzen. Palatinis Stanislao Sobek Sandomirien et regni nostri Thesaurario Nicolao de Mielecz Voinicen. Andrea Dembowski Siradien. Jacobo Lasicki Lancicien, Ruphuele Dziatynski Brzesten Adamo Drzewicki Junivladislavien Stanislao Herburth de Fulstin Leopolien. Valentino Dembienski Cancellario Francisco Krasinski praeposito Plocen. et Vicecancellario Regni nostri Stanislao Barzi de Btozow Marschalco, Stanislao Sandivigiae Carnkowski commendatorio Posnanien Stanislao Lesiowski Cantore Gnesnen. et curiae nostrae Refferendariis Joanne Borakowski praeposito Lancicienci, Stanislao Crasinski Scholastico Gnesnen. et aliis quam plurimis dignitariis officialibus Sekretariis et Aulicis Nris fidedignis Datum per manus Reveren. Francisko Crassinski praeposito Ploc. et regni nostri Vicecancellario Syncere nobis dilecti Sigismundus Augustus Rex.